



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

LIII. In Domin. XXIV. Post Pentec. Cum videritis abominationem desolationis. Matth. 24. Arg. Macro-cosmi, & micro-cosmi supparinteritus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

## CONCIO LIII.

IN DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem desolationis. Matt. 24.

## ARGUMENTUM.

MACRO-COSMI ET MICRO-COSMI SUPPAR  
INTERITUS.

I. **M**axima Micro-  
cosmum inter, &  
Macrocosmū in-  
tercedit analo-  
gia. Aud. Nihil  
propè in va-  
stissimo Polyphemo, mundo inquam  
isto extat; quod in Pigmeo homine cer-  
ta cum Proportione non inveni-  
tur.

Perhibent sacri fasti supremum Nu-  
men Universum hoc, duabus ex par-  
tibus, cælo ac terra, perinde ac mem-  
bris cardinalibus architectatum esse, *in*  
*principio creavit Deus cælum & terram.*  
Æqua ratione hominem ex corpore,  
& anima; ex terra & cælo, seu terrea  
parte, ac cælesti efformatum esse com-  
pertissimum est. An enim non cæleste  
quidpiam anima, quam vel Ethnicus  
confessus cælestis particulam auræ?  
Numquid itidem corpus terra non est,  
quod de humo terræ sumptum ossibus

perinde, ac marmoreis columnis su-  
stentatur. Habeo hic usurpare oculis  
terram, nativa herbarum, ac grami-  
num bysso amictam, arborum proce-  
ritate superbientem, animalium gregi-  
bus refertam. Ibi diffusos longo via-  
rum anfractu fluvios, undis ac tem-  
pestatibus agitados, lacus, & maria a-  
quarum utero gravia, vapores & exha-  
lationes Phæbi nonnunquam radios  
intercipientes observare. Alibi urbes  
ac provincias populosissimas, omni-  
umque metallorum ac lapidum gene-  
ribus incrustatas cernere, &c. Et quis  
hæc eadem in homine non deprehen-  
dit? Quod enim in tellure stagna, flu-  
mina, ac maria; id in homine venæ ve-  
fica, aqualiculus, sanguine atque, alijs  
humoribus redundantes. Quod in illa  
gramen, fruteta ac arbores; id  
barba mystacesque in mento, cri-  
nes in capite jam prolixiores, jam  
breviores. Et numquid in iis  
idea-

*Hominiis &  
mundi ana-  
logia.*

identidem animalia diverſi generis quemadmodum in ſylvis venari arcuum eſt. Quod in illa mineralia ac lapides; id in homine calculi in ventriculo, liene, jecinore; ut taceam aureos dentes, aliasque argenteas venas decantatas. Quod in illa ros, pluvia, exhalationes, terræ motus, tempeſtates, id in iſto ſudores, lachrymæ, tremores, indignationes, minæ, vindictæ. Quod denique ſol & luna in cælis, id vel in anima ratio, ac phantafia, vel in capite duo oculorum ſidera.

Rurſum Mundus floreſcit in vere, flagrat in æſtate, fructum maturat in autumno, riget in hyeme: homo floreſcit, ac gemmat in ſpem virtutis in pueritia, flagrat, & adoleſcit in juvenra, fructificat in ætate matura, inaneſcit in decrepita. Quidquid in mundo, id vel eſt duntaxat; vel ſolum habet eſſe, vel eſt, & vivit; vel vivit, & ſentit; vel inſuper intelligit. Et homini diſpenſatum eſt eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Ex his ſatis liquet, quanta Macrocoſmum inter & Microcoſmum intercedat analogia. Ne tamen vel in ipſo utriuſque occaſu aliquid æquivocum à quopiam obrudatur, ex hodierni Evangelii contextu gemellos hoicè propugnabo, & omnimodam etiam hac in parte proportionem evincam.

## S. I.

*Abominatio deſolationis ſub  
occaſum in utroque*

II. **P**rima infelicitas orbi maximo ſuperventura eſt abominatio

deſolationis, quæ etſi ad literam excidii urbis Hieroſolymitanæ ſignificet, uſu tamen, & interpretatione SS. Patrum vaſtitati ante noviſſimum diem Univerſo inducendæ, coaptatur. Sed quænam illa? multifarias jam olim ab igne, aëre, aqua, terra, cælo, in beſtiis & hominibus, in domibus, agris, familiis, provinciis factas deſolationes conſtatutum eſt. Verùm dempto diluvio privata illæ propemodum, hæc autem futura omnium maxima, æconomica, ac poſtrema, cælum, terrasque involvens. Etenim in cælo Princeps ille ſiderum qui hodie pallio inaurato, inſtar ſponſi ſplendoribus micans, è thalamo Orientis egreditur, pullum induet prior cucullum, ut vel inde mundus hic ſui occaſus deriveret cataſtrophem, unde auſpiciam duxerat vitæ. Tum Luna feſtivorum gaudiorum nuntia ſuis viduata ſplendoribus perindè ac ſacco cilicino amicta apparebit. Stellæ tandem claritatem ſuam obtutibus noſtris ſubtrahendo, aut cometas viſu horribiles in aere efformando, de cælo cadere videbuntur. Ita cunctis peplo involutis, & chore harmoniarum ferri ſolito, à motricis intelligentiæ Libratoris diſturbato, unaquæque ſphæra laxatis veluti lupatis in antiquum ſuum Chaos relabatur.

In terris autem ignis ante ipſum præcedens, ut ad altitudinem aquarum Cataclyſmi teſte D. Auguſtino aſcendat; ita domus, ædificia, hortos, ſilvas, propugnacula in favillam rediget, terramque ipſam depaſcet, exurens omne, quod vel concupiſcentia oculorum preſtabat, vel quo concupiſcentia oculorum delictabatur, vel quod ſuperbiæ  
vitæ

*Mundi de  
ſolatio*

vita ancillabatur. Ah Cosmophile qui tantam abominationem desolationis impeterritus prospectabis? Quae modo Niobes instar ad tantam vastitatem non lapidesces? Quomodo ut pumex non aresces? *Arescentibus hominibus pra timore.*

*In Vita.*

Profecto si quis sensus in te fuerit, is haud quaquam à mente D. Francisci Borgiae abluet. Is visa deformi Isabellae Hispaniarum Reginae cadavere exclamavit: *Hæcinè est Isabellæ?* Hæcinè facies sedes gratiarum? hinc oculi solis gemelli? hæne genæ liliis refertæ? hocdecine decus totius Europæ? Eheu quantâ Metamorphosi conversæ sunt Gratia in Lemures, soles in eclipsim, lilia in bufones, decus omne in abominationem! Consimili tono & choro occines: Dilecte munde dilecte nimis, quid tecum agitur? Scio probè quis qualisve fueris, quam speciosus in floribus, fructibus, splendoribus; quam dives in auro, argento, gemmis, margaritis, possessionibus? quam potens in turribus ac mœniis, in salo & solo, in robore exercitus tui. Utinam quæso manserunt hæc omnia? quò devenere ædes basilicæ, miracula septemna, amphi theatra, pyramides, arcus triumphales? Quò pompa, Deorum gloria æmula? quò cætera? Nihil video quod fulgeat in pelle, quod niteat in tecto, quod floreat in horto, quod vireat in campis &c. O me miserum, qui te tantopere deperei, ut cum perditio disperirem! O me sideratam, qui ob fugaces ac personatas delicias, æternis excidi. Vale munde immunde, valete illecebræ, ac irritamenta malorum. Actum jam est de vobis,

actum eheu de me.

III. Veruntamen, si à μεγαλοκοσμο ad μικροκοσμον oculos reflectamus, eandem illi prorsus obventuram abominationem desolationis reprehendemus. Veniet, veniet illud tempus, quo oculorum sidera æterna offendentur caligine, quo aures disciplinarum auscultatrices obsurdescent; quo gustus saporum Archimagyrus desipiet, quo olfactus exoticorum venator odorum evanescet; quo membra omnia sensus destituent. Veniet hora, quâ cor deficiente spiritu palpitabit, squallebit vultus, compages corporis se contrahet, aut dissolvetur; & ultimam testata calamitatem unico flatu emittet Spiritum. Veniet, veniet momentum quo lux omnis in tenebras, species in deformitatem, pulcritudo in turpitudinem, vita in mortem commutabitur. In præsentibus bene multis lucent signa Zodiaci, hinc Aries, Taurus, Gemini; inde Cancer, Leo, Virgo &c. quando arietum instat lascivium, ut Tauri ferociunt, ut gemini Societates iniquas cogunt, ut cancri à via virtutis retrocedunt; ut leones fremunt, ut virgines lætitiæ fertis tempora incingunt; ut scorpiones toxico perverfi exempli inficiunt, ut sagittarii vulnerant; ut Capri cornua erigunt, ut pisces sceleribus innatant, &c. Attamen postliminio hæc alstra occumbent, aufugient focii, marcescent rosæ &c. ac non nisi caligo tristitia, & afflictio animi inundabunt.

*Hominiæ desolatio.*

Ex omnibus bonis fortunæ nulla vobis Equitibus supererit ungula; nullus vobis magnatibus angulus, quem inhabitetis, nulla vobis voluptuosi

ollula,

ollula, qua olus coquatis; nulla vobis divitibus lacerna, quâ operiamini, &c. Ex omnibus item bonis corporis non erit lux minima in pupillis, gratia in genis, vigor in membris, vox in gutture, sonus in auribus, sensus in potentiis, vita in carne, spiritus in corpore, &c. Ex omnibus bonis animæ, nec memoria præteritorum recordabitur, nec intellectus cognoscet, nec voluntas ut quondam apprehendet, aut concupiscet; imò quæ concupierat deperdit.

Quid igitur agimus Aud. cur mundum tantopere diligimus, quem scimus periturum, aut nos ocuis deseriturum. Si sapimus, avellamus animum ab ipso, & ad DEUM conditorum convertamus. Et si forsitan nos sollicitet avaritia, si superbia ad fastum proritat, si voluptas ad se pellectat identidem nobis ingeramus; Animæ mihi quid tandem ex omnibus bonis tuis emolumenti tibi in futuram vitam obtenturum confidis? Quid tecum accepturus usuris ex omnibus, agris, hortis, vineis, possessionibus? Quis te splendor, quæ dignitas comitatura in tenebras iturum exteriores? *Etenim homo cum interierit, non semel omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Quæ voluptas tibi solatium allatura in tormentis, quæ Zephyrum aspiratura in flammis, quæ rorem destillatura in ardoribus sempiternis? Unum te indusum, cymatilis vestis loco obteget, tumba duarum, aut trium ulnarum erit habitatio tua; vermes, ac bufones loci tui; fætor, ac putredo odores tui, tela aranearum peristromata tua; fel draco-

num vinum tuum, & venenum embammata tua. O verè timendam abominationem desolationis! o catastrophem omnium calamitosissimam! *Qui legit aut audit intelligat.*

## §. II.

*Tribulationis parallela in utroque.*

IV. Subdit sapientia increata, ac veritas æterna: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* O verba horrore plena, & intimas cordis medullas sauciantia! *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit.* Mi DEUS quam graves sunt ærumnæ illæ, quas nonnulli in nuditate fame, siti, ægri- tudinibus, doloribus patiuntur. Sed lusus hic merus in comparatione malorum, quæ supervenient. *Erit enim tunc tribulatio &c.* Quam lugubris illa Samaritanorum tragædia, quum leones è desertis in eos immitti pœnas deposcerent scelerum, & inspectantibus matribus, filios eorum, filiatque depalcerent: Quam extremæ Amorrhæorum angustiae, Josue illos undique coronante, & sole ipso in perniciem illorum prolaxioribus vigiliis excubante? Quam horrendum Ierosolymitanae urbis excidium, quod ipsi Assertori nostro lachrymas expressu? *Verè erit tunc tribulatio magna, &c.*

Quanta illa erat, ut alias mittam, cum orbem universum aquis sensim incrementibus, cataclysmo involvit? Fingamus animo nos indemnes ex arroganti montis supercilio prospectare tragædiam istam. Quam tristi spectaculo

Psal.

Mundi tribulatio.

Et aculo viri fœminæque juvenesque senesque, per montium juga discursent, perindè atque amentes, ac rabi- di, asylum ab aquis assurgentibus in- vestigantes. Crescat interim moles aquarum, jamque domos ipsas ob- ruat, & quidquid residuum est uno impetu involvat, ac demergat. Eheu quistum clamor, quæ lamenta reso- narent? quam tristis facies obversaretur! Et tamen intuitu novissimæ ca- lamitatis umbra non nisi quæpiam re- putanda est. *Erit enim tunc tribulatio qualis non fuit.* Et licet Dominus contu- lisse illam huic Noacchæo diluvio videatur apud. S. Mathæum dicens: *Sicut fuit in diebus Noe, sic erit adven- tus filij hominis, non eo tamen sine id fecit quasi illa novissima tribulatio non sit futura ærumnosior, sed quod ad eam altitudinem ignis ascensus sit (ut docet Sidus Africanæ Eccle- siæ) qua olim aquæ inundaverunt: Vel ut ostenderet æque tunc, ac in ca- taphysmo defuturum refugium ab incendio. Vel ut lymphâ quondam universa subruit, subvertit, demer- sit, ita incendio universali omnia absumenda, & exurenda. Erit tunc tribulatio, &c.* Talis ut mortem ad- vocaturi sint, & fugiet ab eis; montes, ut cadant super eos, & colles operiant eos, & recedent ab eis. Talis ut prunas ignitas quo- dammodo rosas reputarent, &c.

V. Hæc inquis terriculamenta im- bellem sexum nõ cordatos animi viros percellant. Nemo enim nostrum ad novissimum usque diem vitam, mea opinione, extrahet. Moriar certè pri- usquam hujus tragœdiæ prologum in-

tuear. Sic est morieris & tu, nec vives, Nihilo secius in tesynopsim leges, aut in compendium redactam experiere hanc tragœdiam.

Genti Hebrææ constituens præfixos regionis terminos Dominus ait: *Et ad ultimum salissimo claudentur mari.* In- tus habebunt terram lacte & melle man- nantem, fertilem frugibus, amœnam pratis & nemoribus, divitem aurifo- dinis; sed in limitibus salissimo co- ronabuntur mari. Nos dum vivimus peregrinamur à Domino, è loco in locum assiduè migramus, dies diem sequitur, hora horam extrudit. Exci- piunt nos hoc in itinere nostro, jam fœtix, jam labores, jam afflictio, jam voluptas; jam fames jam epulæ; jam tristitia, jam læta. Quis omnium finis? tandem ad mare mortis acerbissimum deveniendum, hic terminus omnis voluptatis, ad hunc scopulum allisæ deliciae nostræ in spumas abibunt. Huic mari innatandum est: *Ad Vlti- mum salissimo claudentur mari.*

VI. De Assertore nostro tradit S. Marcus Evangelista eum in hoc litore constitutum gravissimis conflictatum angoribus & doloribus! *Capit pavere, tædere & mastus esse.* Facies illa plena gratiarû in pallorem mutata, ocelli il- li sedes deliciarum lacrymis suffusi, eor fons aquarum viventium in salis- simum mæroris ac tædii Oceanum commutatum. O mi amantissime JE- SU ubi nunc est virtus tua, quâ alio- nem languoribus medebare; quâ mor- tem ad vitam revocabas? quâ Sathanam è corporibus abi- gebas?

Q 99 2

Matth. 4.

Tribulatio  
hominis  
morturi.

Num 34. 12

Marci 14.  
33.

gebas? Ubi Charites quibus aliarum  
tædia, ac tristitias repellebas? Ubi si-  
dera illa oculorum, quibus decumanas  
avertere solitus es tempestates? Pon-  
derat hoc quaesitum D. Gregorius; &  
reponit: *Appropinquante morte nostrum  
in sententiæ certamen expressit, qui viam  
quandam terroris ac formidinis patimur,  
cum pro solutione carnis, aeterno appropin-  
quamus iudicio. Nemo id suspicetur  
defectu contigisse virium, quasi obsi-  
stere irruentibus nequivisset angori-  
bus; verum ut imaginem agonizanti-  
um etiam justorum exprimeret. Illæ  
guttæ sanguinis defluentes in terram, i-  
con fuere gelidi sudoris, illi terrores ac  
tædia, symbolum tædiorum ac pavo-  
rum nostrorum futurorum; illa capti-  
vitas ipsius nostræ captivitatis prognos-  
ticum. Erit enim tunc tribulatio magna.*

S. Greg.  
h. l.

Mors im-  
piorum ple-  
na angori-  
bus.

Aug. Ser.  
20 de verb.  
Domini.

VII. Quod ut de omnibus univer-  
sum dicitur; tum verò imprimis de re-  
probis compertissimum est. In hodi-  
erno Evangelio aeternum væ inclamat  
ipse futurus Iudex vivorum, ac mor-  
tuorum prægnantibus ac nutrienti-  
bus: *Væ prægnantibus ac nutrientibus in  
illis diebus.* Miror unde fæcundæ ma-  
tres tantum in suum fulmen caput de-  
traxerint. *Quid enim mali fecit mulier, qua  
de proprio marito concepit, (loquor cum  
S. Augustino) quare illis in die iudicii  
male erit?* Tum verò subdit: *Omnis  
homo concipit nec potest esse sine conceptu,  
sed alii concipiunt de Christo, alii de diabolo.*  
Alii concipiunt de Christo semen bo-  
ni consilii, semen justitiæ, & veritatis.  
Alii de Diabolo lolium iniquæ sugge-  
stionis; zizania iniquitatis. Hi præ-  
gnantes sunt, quum res alienas con-  
cupiscunt, Nutrientes, qui jam rapue-

runt, quod concupierant. Væ istis in  
die iudicii, quia hoc fœtu aeternum  
cruciabuntur. *Dolores parturientiæ ve-  
nient eis.*

In eundem propè sensum interpre-  
tatur præfatum fulmen Eusebius E-  
missenus; *Prægnantes ait sunt illa ani-  
ma, qua per hyprocrisim peccata sua ab-  
scondere volunt, & tamen per superbia in-  
stationem abscondere nequeunt. Alter fa-  
me, vigiliis aliisque corporis afflictio-  
nibus corpus conficit, & interim ma-  
nus ab iniquitate neutiquam retrahit;  
autumans scelus suum fore occultum,  
sed incassum omnia, fucata illa pietas  
per superbiam inducta evanescet, &  
uterum prodet. Væ ejusmodi prægnan-  
tibus in illa die, & nutrientibus vanis  
excusationibus scelus suum.*

Emiss. h. l.

VIII. Prægnantes sunt, qui qui-  
dem bona proposita concipiunt aut  
mutandæ perfidiæ, aut vitæ propudio-  
sæ in melius, & nunquam illud enitun-  
tur; nunquam exequuntur. Væ e-  
jusmodi prægnantibus quemadmo-  
dum & nutrientibus, qui proposita  
equidem sua enituntur, profitentur fi-  
dem, pietatem, sed interim tam debi-  
les tam teneri sunt; ut iis lacte opus  
sit, non solido cibo; facilè ejusmodi  
fœtus enecatur, & ideo Væ ejusmodi  
prægnantibus iam illis diebus, Exer-  
ciantur in puerperio corporali matres,  
exeruciabuntur non minus, imò mul-  
tò amplius in suo conceptu morali, vel  
potius gehennali impii. Gravissimus  
est partus monstrorum, gravissimus  
flagitiorum, lethalis & intolerabilis hi-  
storicis; & peccatricis animæ, Non mi-  
nus enim hæc, atque ille horret acule-  
is, quibus intus confoditur peccator.

IX, Re-

*Attili Reguli tormenta Livii.*

IX. Revocare hic libet horrendum illud tormenti genus, à Carthaginensibus in Attilium Regulum exercitum. Architectati illi erant dolium clavis, ac novaculis dentatis undiq; asperum. In hujus uterum impositum versabant Attilium, ita ut quoquo impelleretur, movereturque, mucronum apices in membra ejus adigerentur, corpusque miserandum in modum profcindere-tur.

Suppar omnino vel certè calamitosior emigrantis ex hac mortalitate peccatricis animæ status est. Nusquam sese obvertet, quin novi doloris aculeum sibi infigi deprehendat. Si enim sursum oculos attollat, sidera ac cælum suspecturus, illud sibi clausum audiet. Si deorsum acclinet, videbit Orcum fauces ad se deglutiendum distendentem. Si ad latus obtorquebit forsitan Erebi phalanges in sui perniciè armatas deprehendet. Si in se ipsum convertet, conscientiam omni Thesiphone acerbius sese flagellantem experietur. Ut multò verius quas olim musanna exclamare cogatur: *Angustia mihi sunt undique.* Angustia in corpore, angustia in anima, angustia ex prætorum memoria criminum, angustia à superventorum atque à jam jam incubantium suppliciorum expectatione. *Angustia mihi sunt undique.* Overè tribulationem supra tribulationem; & qualis non fuit ab initio mundi.

### S. III.

*Tentationum conformitas.*

X. Progreditur Dominus in vaticinio suo & ait: *Surgent Pseudo-Christi & pseudo-propheta, & dabunt signa magna,*

*& prodigia, ita ut in errorem inducantur etiam si fieri potest electi.* Surget homo peccati Anti Christus, *cujus adventus,* ut eum graphicè depingit Doctor gentium, *secundum operationem sathana in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Surget inquam, & toto armatus Orco in excidium, ac ruinam Christianorum loricabitur. In hunc finem jam promissis, & gratis certabit; jam quidquid vel Busiridis boves, vel Neronis accensa de spirante adipe faces, vel Diocletiani Maximilianique tormenta intactum reliquere, per omnem tentabit violentiam. Eheu calamitosissimos, qui unquam extitere mortaliū, in quos hæc tempestas desæviet, hi laquei, & vincula expedientur, hæc cruciatuum scena repræsentabitur.

XI. Evigila evigila è tuo veterno homuncio, & si te exemplum ab ea arbitraris, tuo jam imminere vertici pro comperto accipe.

Prædictum id tibi atque omnibus *Tentationes hominis in morte gravissima. Gen. 3 15.* oraculo est à Domino: *Inimicitias inquit ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, ipsa conteret calcaneum tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Nam quænam hæc lucta est, præterquam serpentis antiqui cum Ecclesia. Quid item insidias struere calcaneo, non pectori aut capiti, aut manibus? Nonne ictus capitis lethales sunt, & cordis, plantarum autem leviores? Cur ergo calcaneum satius impetit, quam aliud quodvis membrum? Ultima pars hominis calcaneus est, finem vitæ cui imprimis Erebus insidiatur adumbrans. Ita S. Antonius *serpens insidiat calcaneo ejus, quoniam Diabolus tentat in 4. p. c. 14.*



fortiter in sine vita. Calcaneus enim qui finis est corporis sine vita significat. Eo articulo solito vehementius instat, ut vel faciat de divina præsumere misericordia, vel etiam quod alterum extremum est, in desperationis abyssum prolabi, aut in aliud quodvis consentire peccatum.

XII. Sanctissimus Domini Vates David serid intendens omnibus idipsum inculcari, aures exprorectas exposcit: *Audite hæc omnes gentes; quique terrigenæ filii hominum, simul in unum dives & pauper: Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Quidnam vero illud est quod tanto pere commendas Regum sapientissime? Ne quæso suspensos teneas, sunt enim hic qui longos amant botulos, breves conciones. Accipite quod volo paucis: *Cur timebo in die mala? Quid me evlcerabit? Quid dabit in ruborem? Nunquid hastatæ me eviratum reddent phalanges? Nunquid inopini percillent casus? Nunquid fulgurita suo exanimabunt boatu? Neutiquam.* Quid ergo? *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Id unum vereor ne in extremis iniquitas aliqua inveniatur in me, ne sathanas me circumveniat, & ad infernum agat præcipitem. Et si enim Tentator ille vix unquam à pravus desistat suggestionibus, in exodo tamen hujus peregrinationis vigilantissime excubat.

XIII. Evidentissimum id evadet ex holocaustis Domino ab Abraham oblatis. Etenim offerente illo quodam tempore sacrificium illico de vicinis montibus advolarunt falcones, vultures, accipitres, quidpiam de oblati

furaturi ad ipibus Descēdebantq; volueres *Gen. 15. 11.*  
 super cadavera, & abigebat eas Abrahamo. Vix similem casum in sacris invenio paginis. Obtulit Abel in prima mundi atate de gregibus suis victimas. Immolavit itidem Noe sacrificium Eucharisticum ex arca egressus. Salomon in templi inauguratione viginti duo millia boum, & centum millia arietum polluxit domino; nec tamen ulla avium rapacium advolasse dicitur. Quid itaque est quod Abrahamo sacrificanti sese ingesserint? Credo Vultures hosce extitisse typum infidiantis sathanas, & in perniciem fidelium vigilantis. Quando enim Abraham immolavit? *Cum sol occumberet.* Ex quo liquidum evadit vesperinum Domino obtulisse sacrificium, & tum accipitres involasse. Verum quod ibi manifesto evenit, id nobis clanculum sub vitæ vesperum usuvenerit. Tum enim infernalis Laban Iacobum persequitur vehementius, quam ab ejus sese emancipat servitio. Tunc Pharaogehennalis omnem mover potentiam, quando in terram promissionis expeditis Ægypti retinaculis properare advertit. Tunc discerpere nititur, cum foras relicta prædâ exire compellitur. Tunc *pejus cogitationes mentis dilaniat, cum jam terminus egressus, sui divina virtute compulsus appropinquat, ait D. Greg.* Tunc eveniet, quod oraculo prædixit S. Ioan. Apostolus in sacra sua Apocalypsi: *Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam sciens quia modicum tempus habet.* Descendet ut quem canum longis annis inter scelera contractum servavit, morientem simul novis angribus occupet, & tentatio

Psal. 88.

Ibid.

Ibid.

D. Greg.

rationibus infestet. Descendet plenus irarum, ut quem hactenus spebus inanibus lactavit, jam minis & terroribus in desperationem adducat. Tunc enim ostendet impio peccata ipsius nimis esse grandia, numerosa, Divinæ bonitati intolerabilia, censuram Numinis gravem, stateram Iudicis exactam, nullis verborum lenociniis flexibilem, nullis precum, aut munerum corruptelis obnoxiam; nihil restare præter jus rigidum æternaque carnificum Avernaliū tormenta.

XIV. Inter eiusmodi aliosque plures inimici suggestus, quis palor obsidebit morientis frontem? quantus sudor à tergo fluet, quali trepidatione fluctuabit animus? quæ perturbatio mentis erit confusio, quis cogitationum inter se præliantium conflictus? pronum est suspicari periculosam admodum futuram ultimam cum Sathana pugnam, iis imprimis, quibus semper persuasum fuit, non prius facere initium pœnitentiæ, quam ubi ad litus æternitatis appropinquaverint. Certe res est plena periculi tunc eum hoste stygio congregari velle, pro summa rei, totaque ad eodæ æternitate, homines imbelles, inexercitados, & qui post triumphantis Luciferi effectum victi semper, atque inter compedes ducti sunt ad servitutem; nisi ante infirmitatem fuerimus bene armati, virtutibus exercitati arte pugnandi, vix contra eum prævalere poterimus. Quocirca nunc loricemur contra ipsum, nunc arripimus consilia Domini, & ingruentibus eiusmodi insultibus, fugiamus ad montes perfervens virtutum exercitium, ad montes superiorum collium, & ore-

mus nefiat fuga nostra hyeme per torporem, vel in Sabatho, seu ocio & refatione à piis operibus.

## § IV.

*Synthesis Iudicii.*

XV. **T**Ribulationem tantam ac Tyrannidem Anti-Christi expectarum est Oecumenicum iudicium. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus celi.* Tunc quum animal hoc magnum tellus (quemadmodum gentilitas interpretabatur) oculos suos (luminaria inquam cæli) occluserit, dum bæcumenicis agitata motibus totis artibus contremiscet, cum plangent supra eam omnes tribus terræ, & propè in cineres ac favillam redigetur. *Tunc videbunt filium hominis, &c.*

Quid verò de nobis omnibus varietur Doctor gentium audiamus. *Statutum est inquit omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Eadem hora qua mors venit eadem reddenda est ratio, & eodem loco, quo spiritum exhalaveris, tribunales sistendus. Cum enim Christus, qua DEUS omni loco præsens sit mox ubi anima à corpore separata fuerit ibidem iudicium hoc instituitur. Et hic quidem in lecto illud iudicium accipit, alius in igne quo concrematur; alius in undis, in quibus suffocatus est; alius in campo; ubi procidit. Et sic ubi moribundus ultimum traxerit spiritum, ibidem etiam decretoriam accipi & sententiam; & ubi ardente cerâ moribundi extremus spiritus

spiritus exploratur, inde jam anima vel ad aeternas sedes evolavit, vel cum iis qui ducunt in bonis dies suos in puncto ad inferna descendit. *Tunc videbunt Filium hominis venientem &c.* Est itaque inter judicium particulare ac universale hoc unicum discrimen, quod est in judiciis nostris, quando in eo privatim sententia fertur in reum, & quando subindè eadem publicatur. Cæteroque unum atque idem est in se, eademque sententia. Si tunc scribetur pro te felicissimum, A. seu *venite benedicti*, idè repetetur in decretorio universali die. Si quod superi averuncent feretur infelix seu *discedite à me maledicti*, id ipsum subindè innovabitur. Quod si itaque

illud Oecomenicum expavescimus judicium, multò magis (à quo illud dependet) particulare. Si in illo optaremus inveniri servi boni & fideles, conemur ut in isto tales habeamur & proclamemur. Si illo gestiremus consecrassè vitam nostram Numini, nec unquam scientes volentes exacerbasse ejus Majestatem, accurremus quatenus in præsentiarum ejusmodi nos geramus: Tales enim judicabimur in illo, quales inventi fuerimus in isto. Ergo si reformidamus illud, reformidemus & istud, & in tempore nos judicemus, ne cum mundo in maligno posito dispereamus.

AMEN.

F I N I S.

